Quelle: https://manuscripta.at/?ID=875
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

omnia accidentia esse dubium non est. Preterea inmixte semper contingit differentie. Inmixte autem id est inmixtabiles que misceri non possunt. neque enim rationale cum irrationali misceri potest. neque in una specie convenire. At vero accidentia contraria manifestum est in una specie posse congruere. Namque album vel nigrum potest in una non modo specie sed etiam individuo duo congruere. Potest enim quicumque homo cum ipse sit candidus nigerrimos capillos habere.

Ergo quemadmodum species differat a genere ut differentia. De Communitate Speciei et Proprii.

dictum est. cum de generis ad speciem et differentie ad speciem differentia diceremus. nunc dicemus id quod reliquum est de speciei propriique communibus. Est enim una eorum communio quod de se ipsa invicem predicantur. Nam quoniam equa sibi sint neque species hominis neque proprium convenit alii speciei nisi homini. atque ideo dicitur. Quod homo. quod risibile: quod risibile: quod homo. Commune esse est illud quod omne proprium equaliter ad subiecta posita predicatur. Namque omnes homines individui equaliter uno nomine homines nuncupantur.

De Propriis differentie et Proprii

Differunt autem. inter se quoniam species potest etiam genus alii esse. proprium esse non potest. Sed hic illam speciem intelligamus que subalterna est. non illam que magis species est. et genus esse numquam potest atque ideo nos illam non solam que subalterna species est intelligamus. que scilicet poterit esse genus. Namque mortale cum rationalis generis species sit. hominis genus est. At vero risibile nulla umquam speciei alii potuit predicari. neque alii esse proprium sicut est hominis. Illa enim ut dictum est. semper propria sunt. que nulli alii nisi ad unam speciem semper aptantur. deinde species precedit et sic proprium sequitur. Quod dicitur tale est omnis species ut habeat proprium. primo eadem esse et constare necesse est. Oportet enim prius esse hominem. ut sit risibilis. non prius esse risibile ut sit homo. Nam quoniam proprium dicitur proprium esse non constat. nisi alicuius speciei sit. atque ideo prius necesse esse est. illud cuius est proprium quam sit proprium. Huc accedit quod species semper in opere intelliguntur. cuicumque subiecta. species enim semper in actu est. non solum proprium. Homo enim re vera et opere et actu homo est. ut numquam potuit esse non homo. At vero risibile quod est proprium potestate tantum dicitur et si in actu non sit. potest. enim quilibet ille non ridet. tamen quia ridere potest. risibile nominatur. Distant ergo in hoc quod species in actu est et opere. proprium vero aliquotiens potestate. Deinde quorum diffinitiones diverse sunt. necessario est ipsa quoque diversa sunt. Omnis diffinitio substantiam definit. Ergo si que substantie eedem fuerunt. eadem est diffinitione monstrantur. Si que eadem diffinitione fuerunt eadem substantia predicantur. At vero si que diffinitionibus differant. differunt et substantiis. que substantiis differunt longe a se ipsis alia sunt. Nunc ergo quoniam diffinitiones proprii et speciei differunt. species ipsa quoque et proprium a se differunt. Est autem speciei diffinitio sub genere esse et ad plurima numero differentia. in eo quod quid sit predicari. At vero proprii uni tantum inesse speciei et sub ipsa de-